



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola VI. Gregorii Papae I. Ad Mavricivm Avgvstvm. De electione Cyriaci
episcopi gratias agit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

niæ sanctitati vestræ commendo, vt nullus vobis contra eos falsidica locutione surrepat, quia eorum fidem subtiliter discussi, eosque rectos in suis confessionibus, quæ & scripto datae sunt, inueni. Sancta autem trinitas sua vos manu protegat, & circa animarum custodiam semper vos vigilantes & sollicitos reddat, quatenus in æterna retributione valeatis non solum de vestro opere, sed etiam de subditorum vestrorum melioratione coronari.

EPISTOLA VI.

G R E G O R I I P A P Æ I.

AD MAVRICIVM AVGVSTVM.

De electione Cyriaci episcopi gratias agit.

Gregorius Mauricio Augusto.

OMNIPOTENS Deus, qui pietatem vestram pacis ecclesiasticæ fecit esse custodem, in ipsa vos fide seruet, quam vos sacerdotali vnitate seruatis; cumque supernæ pietatis iugo cor humiliter subditis, cælesti gratia agitur, vt hostes vestros pède fortitudinis prematis. Non enim paruæ potuit esse mercedis, quod Ioanne sanctæ memorie de hac luce subtrahit, ad ordinandum sacerdotem pietas vestra diu hæsitauit, tempus paulo longius distulit, cum metu omnipotentis Domini consiliū quæsiuit, vt videlicet causa Dei cum magno debuisset timore disponi. Vnde & aptum valde existere in pastorali regimine fratrem atque consacerdotem meum Cyriacum existimo, quem ad eumdem ordinem pietatis vestræ consilia longa genuerunt. Qui in administrandis dudum rebus ecclesiasticis quam sollicitus, & quo modo fuerit exercitatus, cuncti nouimus. Vnde & superna gestum dispositione non ambigo, vt qui bene minima geslerat, congrue maiora susciperet, atque a cura rerum ad animarum regimina transfiret. Pro qua re totis precibus deprecamur, vt bonum hoc omnipotens Deus serenitati dominorum, piæque eorum soboli & in præsenti sæculo atque in perpetua remuneratione retribuat, & prædicto fratri & consacerdoti meo, qui domino gregi prælatus est, animarum curam plena sollicitudine exhibere concedat, vt irreprehensibiliter possit subiectorum suorum & praua corrigeret, & recta ad crescendum

fouere; quatenus de eo pietatis vestræ iudicium, non solum ante homines, sed etiam ante supernæ quoque maiestatis oculos conualescat. Venerabiles autem viros Georgium presbyterum, & Theodororum diaconum pro iussione dominorum atque pro imminentia hiemalis temporis in hac Vrbe moras perpeti non permisi.

EPISTOLA VII.

GREGORII PAPÆ I.

AD MAVRICIVM PATRICIVM.

Reprehendit eos qui in Cyriaci ordinatione clamarunt:

*Hæc dies quam fecit Dominus. Demonstrat præterea
ex culpa præsidentium deteriores
fieri subditos.*

*Gregorius Mauriciopatricio, Petro Domitiano, & Elpidio
episcopis, &c.*

ORDI NATIONEM viri sanctissimi Cyriaci fratris & consacerdotis mei cum magna vos lætitia suscepisse vehementer exulto, & quia Paulo apostolo prædicante dicimus: *Si gaudet vnum membrum, congaudent cetera membra;* ^{1. Cor. 12.} pensare vos necesse est, quanta vobis hac in re exultatione congaudeo, in qua non vnum membrum, sed multa Christi membra gauisa sunt. Sicut tamen scripta fraternitatis vestræ potui transcurrendo perpendere, magna lætitia in immoderatam eiusdem fratris mei laudem vos rapiuit. Nam hunc sicut solem in ecclesia apparuisse dicitis, ita ut cuncti clamaretis: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Et certe sequentis vita promissio est, qua dicitur: *Fulgebunt iusti sicut sol.* Nam in hac vita ad ^{Psal. 117.} huc quisque positus quantilibet virtute polleat quomodo sicut sol fulget, in qua corpus quod corruptitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem? In qua videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, & captiuos nos ducentem in lege peccati, quæ est in membris nostris, in qua & in nobis metipsis responsum mortis habemus, vt non simus fidentes in nobis. In qua etiam propheta clamat: *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me te-* ^{Psal. 54.} nebræ. Nam & quod scriptum est: *Sapiens ut sol permanet,* ^{Ecclesi. 27.}